

*Nicatori* tam in deliciis exstitisse putant, ut defuncti capiti subjectus inveniretur. Ἀσπίς Ἡρακλείους num legitimus sit factus *Hesiodi*, multi dubitant. Id autem ejus lectores fatentur, illud etiam insigni elegantia pollere, juvenumque industriae propter stili concinnitatem, & fabularum cognitionem, lectoribus Poetarum necessariam, commendari debere. Tandem, a pluribus veterum *Hesodo* tributum, adhuc restat carmen, *Θεογονία* inscriptum, *Herculis* scuto, jam recensito, plane preferendum, utpote in quo Deorum originem, a veteribus fixam, elegantissimo scribendi genere tradit Autor. *Theognidis* vitam concinnam editit *Elias Vinetus*, quæ variis Sententiarum illius editionibus præmittitur. Is elegantissime de moribus scripsit, Megarensis Atticæ, non Siculæ, civitatis indigena. Tanti sunt viri, quorum reliquiis commilitones suos sapienter donavit Editor, cui faventem semper Lucinam exoptamus.

Gedanken von der wahren Schätzung der lebendigen Kräfte, &c.

hoc est,

*MEDITATIONES DE VERA ÆSTIMATIONE VIVARUM; quibus additum est examen demonstrationum, quibus Leibnitius, alique Mechanici, usi sunt, præmissis generalioribus de vi corporum; Autore IMMANULE KANT.*

Regiomonti, 1746, 8.

Plag. II.

**P**rimo Capite Autor de vi corporum in genere agit. Corporis generalissime acceptam vim mavult *activam*, quam *matricem*, appellari. Ex activæ enim vis notionem mira facilitate motum deduci posse, judicat. Rem ita explicat §. 4: *Substantia A, cujus vis determinata est, ut extra se agat, hoc est, ut aliarum substantiarum statum internum mutet, primo conatus sui momento vel objectum reperit, quod totam ejus vim patitur, vel non. Primum si omnibus substantiis accideret, motum omnino nosceremus nullum, neque orta esset matricis vis*

appellatio. Sed, si *A* ipso comatus sui momento totam suam vim impendere nequit, partem solum impendet; reliqua vero pars ut plane non agat, fieri nequit, cum semper vis tota agat, quæ, nisi tota impenderetur, vis non esset. Cum igitur, quod ex hoc vis agentis exercitio resultat, in coexistenti rerum statu non reperiatur, erit illud in secunda mundi dimensione, in serie successivorum. Corpus igitur vim non omnem simul, sed successive, impendet. At sequentibus momentis non potest in easdem substantias agere, in quas initio agebat; hæ enim primam saltem vis sua partem recipiebant, reliqua recipienda idonea non sunt. Ergo *A* continuo in alias aliasque substantias agit. Substantia vero *C*, in quam agit momento secundo, alias plane loci & situs relationes habet erga *A*, quam substantia *B*, in quam *A* initio agebat, alias ratio nulla esset, cur *A* initio non simul tam in *C*, quam in *B*, egisset. Similiter substantia, in quas sequentibus momentis agit, singule alios situs habent respectu primi loci corporis *A*, hoc est, *A* locum mutat, dum successive agit. Hæc clarissima Auctori videntur, nobis qui aliam substantiarum actionem, quam quæ cum motu conjuncta est, intelligimus nullam, neque hanc in motu contingentem tam intelligimus, quam experientia edocti novimus, omnia hæc sine mente soni sunt. Quid enim est vis illa ipsius *A*, ad extra se agendum determinata? Unde est, quod aliqua substantia illi omni vi perferendæ par non sit? Quid hoc est, pati vim akerius substantiæ, si vis, quæ tota non impenditur, vis non est, & si corporis *A* vis primo momento tota non impenditur, vis corporis *A* primo momento vis non erit, aut, si vis esse potest, quæ tota primo momento non impenditur, quanto tempore impendi debet, ne virium ordine excidat. Horum omnium aliquis, si de motu in specie querantur, ex phænomenis, quæ sensu edocti sumus, utcumque explicare posse nobis videmur, sed, ad hæc abstractiora delati, nihil omnino nos cogitare, libenter pronuntiamus. Sed alia adhuc in eodem Capite habentur, sublimiora multo, quam quæ capi a nobis possint. Triam spatii dimensionem inde esse, quia substantia in mundo existente, cujus pars sunt, vires essentielles ita comparatas habeant,

beant, ut in nexu mutuo pro ratione reciproca duplicata distantiarum operationes suas exserant, ut deinde totum, quod hinc oritur, proprietatem trinae dimensionis habeat, hac vero lex arbitraria sit, potuissetque a Deo alia quavis lex, ut reciproce triplicata, eligi, ex qua diversa lege extensio aliarum dimensionum & proprietatum fuisset. Scientia omnium horum possibilium generum spatii procul dubio geometria maxime sublimis esset, quam intellectus humanus complecti posset. Quod vero plures, quam tres, dimensiones repraesentare nobis non possumus, Autori inde esse videtur, quia anima nostra impressiones externas etiam in ratione reciproca duplicata recipit, & natura sua ita comparata est, ut sic patiatur & agat. Videas hic hominem, qui aliqua de actione in reciproca duplicata distantiarum, & de trina dimensione, fando inaudivit, hæc ita conjungere, ut somnians ideas conjungimus; intellectus enim inter utrumque æxum necessarium perspicit nullum, neque Mechanicis de pluribus spatii dimensionibus quidquam innotescit, dum virium, in alia quavis, quam reciproca duplicata, agentium, leges considerant. Sed, ne toti in primo Capite hæreamus, addamus, secundum Caput de viribus vivis inscribi, & Leibnitianorum argumenta examinare; tertium Caput veram, ex Autoris sententia, virium estimationem proponere. Est ea (§. 84): Corpus quodvis, quod velocitatem suam motu libero in infinitum absque diminutione conservat, vim possidet vivam, cujus mensura est quadratum velocitatis, sed his additis conditionibus, ut: 1) Corpus rationem in se contineat in medio non resistente motum uniformem, liberum, & perpetuum, conservandi; 2) hanc vim corpori non a causa externa inditam esse, quæ in motum eum concitavit, sed post excitationem externam ex vi naturali interna corporis oriri; 3) hanc vim in eo, tempore finito, generari. Sed hæc explicata & demonstrata legant apud Autorem, quibus volupe est. Nobis sit chartæ & temporis jam cum hoc libello perit,

DISSERTATIONS SUR LA FONDATION DE LA  
ville de Marseille, &c.